



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Magni Servi Dei P. Julii Mancinelli Societatis Jesu**

**Cellesi, Jacopo**

**Oeniponti, 1677**

Devoto Lectori.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42734**



## DEVOTO LECTORI.

**M**ulti, qui vitas Sanctorum condidere, accusarunt eorum, qui una cum illis vixerent, socordiam, & incuriam in observandis & annotandis eorum illustrioribus, dignisque memoriâ actibus, qui propterea dilapsi cum non modico posterorum dispendio interciderunt. In conscribendâ hujus magni Servi Dei vitâ ego sâne conqueri minimè possum; quidquid enim in ea percensebo, fideliter ex ipso Patre Julio mutuatus sum, quo teste fideliores, vel scientiores, ac veriorem desiderare non possum. Habeo ego penes me rerum ab ipso gestarum & perpessarum apparatus, quem ipse met & conscripsit, & ego agnovi ejus manum & characterem, fidejurata & publicâ nobilis ejusdam & oculati testis assertum. Extant præterea plurimæ ab ipso exaratæ literæ, & multæ aliae, quas nostri Patres, qui cum ipso vivebant, prescriperunt. Insuper varia Diaria de rebus, quæ ipsi quotidie contigerunt, bonam partem quidem alienâ concinnata manu, recognita tamen, & propriâ correcta manu. Denique & articuli Neapoli in causa Processus de integritate Vitæ, Sanctitate, Virtute, miraculis Servi Dei in ordine ad Canonizatiōrem, prout illic dicitur, à Dominis Tiberio Caraffa principe de Bisignano, & Domino Alejandro Miroballo Marchione de Braciliano adhoc in publica forma nomine Civitatum Neapolis, Capuæ, Palermi deputatis Procuratoribus. Ex hujusmodi Scripturis non solum ejus Nobiliores, sed & minutissimas quasque actiones potui ego securè ob oculos ponere, ut adeò Lector meus in hac vita non secus certus esse possit de iis, quæ in eadem legentur, ac si iis gerendis coram adfuisset, ac vidisset Patrem Julium viventem, ac singula patrantem, id quod in vitis Apostolorum desiderabat aureum os Constantinopolitanus Præsul; non possum tamen infitas ire, ejus modestiam, ac submissionis studium, dum vanitatis mœtu, à qua sancti

ANNO 1713. JULY 22. 1713.

sancti viri mirum quantum abhorrent, nonnulla adjuncta tacet,  
 quæ ejus actiones, r̄sque multò illustriores redderent, in denar-  
 randa vita mihi non parùm molestiæ facessivisse, ac perdoluisse,  
 quòd servum Dei in vita non cognoverim, nec cum eo egerim  
 priùs, quām decederet. Neque verò est, cur quisquam miretur,  
 ipsum proprias suas actiones & virtutes scripsisse; in hoc namque  
 præter exemplum Sanctorum, & Sanctarum, qui proprias suas vi-  
 tas ad Gloriam Dei elucubraverunt, non est aliam secutus legem  
 & impulsu[m], quām ordinem sanctæ Obedientiæ, à qua compulsus,  
 eo in negotio, prout ipse testatur, expertus est, & persenfit illum rubo-  
 rem, erubescientiam, nec non & repugnantiam, quam experiretur, si  
 oporteret se numero[so] coram populo nudum, investemq[ue] ostendere.  
 Hoc quidem liberè ac candidè fatetur, ad veritatem à se scriptorum  
 quod attinet, promptum se paratumq[ue] esse ad omnia confirmando  
 juramentum præstare. Atque hinc est, quod ipse met effictim orat,  
 quisquis aliquando describeret, in compendium redigeret, recensem-  
 ret res ab eo scriptas, uti verbis quasi iisdem id facere ne gravetur,  
 quòd nec latum, ut ajunt, unguem discedatur à vero. Id quod equi-  
 dem sic exequi studebo, ut, procul omni tædio, quod subire forsan in  
 ea legenda oporteret, quam ipse scripsit, ubi videri posset vel nimis  
 diffusa, vel parùm ordinata, vel justo simplicior, quoad ejus fieri po-  
 tuit, illius me verbis astringam, absq[ue]; ulla tamen elegantius loquendi,  
 prout hodie fert mos, vel arte vel studio, à me quidem ignoratis, &  
 ubi, qui videri volunt sapere, sapiunt minus. Menda in hac impres-  
 sione, quæ forsan irrepserunt, Lector ipse pro sua prudentia facile  
 corriget. Ita confido, vos, dum hanc vitam legendam in manus su-  
 metis, ea cogitatione & mentis iudicio ad id faciendum accessuros, ut  
 persuasum habeatis, vos magni Servi Dei vitam lecturos, quam ipse  
 scripsiterit, & non aliis quidam imperfectus auctor, qualis ego sum;  
 Ita legetis majori cum sapore & gustu eum collecturi fructum,  
 quem ego desidero. Hæc eadem verba admensa pro se interpres ex  
 animo cupit.

JOAN.